Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36570
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

I
angelica turba comitante hodie laureatus ingsa triumphat. & innumero
senatui cum xii. consortibus orbis iudicibus ipse gloriosus iudex tripudiat. Hunc
dilectissimi rogemus ut eius meritum nobis obtineat quatenus deus omnes peticio
nes vestras impleat omni gaudio nos repleat. Octavo. De sancto Nicolao.
IN MEMORIA eterna erit iustus ab audicione mala non timebit. Cunc
ta que fiunt hic in terra oblivionis oblivione traduntur et cuncta que sub
sole eveniunt a memoria tamquam mortuus a corde elabuntur. In cuius enim
nunc versatur memoria regum & tyrannorum olim opulens gloria. Quis hodie in
recordatione magnas urbes quas extruxerunt vel inclitos titulos no
bilium triumphorum quos erexerunt. Ubi sunt nunc pompe vel divicie quibus affluxerunt. Vel ubi
supplicia aut cruciatus quos sanctis intulerunt. Omnia velud umbra transierunt & ipsi
ignem & vermem hereditabunt. Qui autem deum pie coluerunt in memoria eterna erunt.
Opera eorum per omnes generationes vigent & nomina eorum in secula seculi vivent. Homo
unus spiritus cum deo est qui ei per dilectionem inheret & ei per spiritum unitus cum eo in
eternum permanet. Ex quibus sanctus Nicolaus est in memoria eterna ab audi
cione mala non timebit. scilicet discedite a me maledicti in ignem eternum non ti
mebit. Sed de dulci voce venite benedicti patris mei gaudebit. Hic ortus
a nobili prosapia grecorum multis miraculis fulsit preclarus presul Mirreorum. Re
cens natus ponitur in pelvim balneandus sed per unam horam stetit a nullo tentus
quia nimirum in gradu virtutum erat stabiliendus. Mox bone indolis virtutem ce
pit repatare per parsimoniam. Unde primus parens exulabat per castimoniam
illam quarta & sexta feria tantum semel in die papillas bibebat. Unde affluentia ce
lestis gratie ei largiter influebat. Transcola autem infantuli inetia sitibundo
pectore hausit defluentis scripture celestis vite secreta. Adultus autem utroque
parente orbatus & ipse innocentis patrimonii heres subrogatur. Porro in
eadem civitate nobilis vir degebat qui de maximis diviciis ad ultimam
egestatem pervenerat. Hic statuit tres filias suas forma insignes forni
cari ut per eas posset saltem victum lucrari. Quas Nicolaus auro redemit & pa
trem quidem inopia puellas autem infamia benigne ademit sibi vero celestes divi
cias coemit. Interea Mirrensium ecclesia pastoris morte viduatur. sed grex de
vote a deo postulat utrum dignus pastor preficiatur. Bonus autem pastor cuius cura
consolatur ovile desolatum cuidam sancto insinuavit Nicolaum a deo presulem esse desig
natum. Qui postquam cleri & populi electione prudens & fidelis dispensator super
familiam domini constituitur mox iubar virtutum eius usque diffunditur. Dulcis

[Marginal note:] et hic hominibus est celebris in terra & angelis in vita sempiterna.